

cos βαμὸς altare, ut h. l. monumentum seu tumulus  
 ejus notetur, ut sensus sit: *Tumulus ejus cum divite,*  
*sepulchrum cum impiis,* ut hostes Messiae constitue-  
 rant. *Hæc autem Observatio,* inquit Rivetus, *eo ma-*  
*gis mihi probatur,* quod postquam à Forstero Doctissimo  
 Germano fuit animadversa, eandem Mercerus cum  
 Autoris laude retulit, nempe honestam & splendi-  
 dam Christi sepulturam hic notari, qua à Josepho A-  
 rimathæo homine divite & nobili donatus fuerit,  
 quamvis inter impios prius & damnatos, sepulchrum  
 ejus destinatum foret: simulque putat Rivetus, con-  
 jecturas, quibus utitur Forsterus, leves non esse.  
 Pergit proinde Rivetus: Eandem sententiam secutus  
 est tanquam certam & exploratam Doctissimus Lexici  
 Pentaglotti autor *Valentinus Schindlerus* (quem ve-  
 rò non secutus est Doctissimus Castellus Lexico suo  
 Heptaglotto, qui ipsum alias plerumque sequitur)  
 במה Bama, inquit significat edificium sepulchro alicu-  
 jus impositum, monumentum, epitaphium &c. *Jes. 53, 9.*  
*Bemotav excelsa sua h. e. monumenta sua;* pro Ba-  
 motav, mutato Kamez in Scheva præter morem. Ideo  
 in margine Masorethæ annotant, non extare simile,  
 quod scil. Schva habeat, & ׀ quiescens deficere. Idem i-  
 gitur sunt קבר Kever sepulchrum & במה monumen-  
 tum. Hæc ille: Quibus subjungit Rivetus: *Commo-*  
*dè igitur hic locus intelligitur de monumento divitis*  
*Josephi.* Hic enim dicitur à Matth. c. 27, 57. ὁ πλου-  
 τος πλάσιος homo dives, quasi digitum voluisset inten-  
 dere Evangelista ad hunc *Esaiæ locum.* Quam tan-  
 dem